

X 2313050

AD

II g
170

ORATIONEM INAUGURALEM

IN ANTE DIEM XI. NOV. H. p. m. HABENDAM

ILLVSTRISSIMUM MAECENATEM
NOSTRUM

VIROS

DIGNITATE ERUDITIONE VIRTUTE

ILLVSTRES ET CONSPICVOS

RELIQVOS

SI QVI SVNT QVI HIS NOSTRIS FAVENT

QVA DECEAT PIETATE ET OFFICIO INVITAT.

OBITER

DE VINCENDA MOLESTIA SCHOLASTICA

DISSERIT

LECTIONES FUTVRAS INDICAT

REGIMEN SCHOLAE FRANCOVSAE
SVSCEPTVRVS

IO. DAN. SCHVMANN. A. M.

FRANCOVSAE
LITERIS KEILIAN.S.

BIBLIOTHECA
SCHULAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



olent, qui in capeffendo mune-
re publico opus aliquod mo-
liuntur, illud inprimis agere,
ut materiem fcribendo quae-
rant, quae vel novitate rei vel argu-
mentum gravitate commendabilis,
gratiam publice capret.
Equidem uti praeclare de illo more
fentio, qui facile perfpiciam, quantum
ad rem bene gerendam valeat favens
hominum exiftimatio in ipsis primordiis
artibus quibuscunque eblandita:
praecipue fi quis in eo verferetur,
ut quendam veluti guftum fui dare
debeat; fic, omnia illa fastidire velle,
quae vel ab aliis iam tacta funt,
vel non nimis magna profitentur,
vehementer ieiumum effe exiftimo.
Quamquam enim res ad communem
utilitatem quamplurimum conferentes
in medio fere pofitae funt, minimeque
reconditae nec a vulgi fenfu remotae;
ita tamen comparatae funt plerumque,
ut

ut recognoscenti subinde novi quid offerant, diligentiore contemplatione forte non indignum. Est forte quod harum patrocinium in praesenti suscipiam. Quum enim, dum haec scribo, ab omni literaria suppellectile adhuc seiunctus sim, ipsae meae, si quae sunt, copiae oppido in angustum coguntur, videoque eiusmodi esse mihi argumentum eligendum, in quo sine librorum praesidio sola animi contemplatione effici aliquid et proferri possit ab instituto meo non alienum. Itaque non singulare erit, quod nunc excutiendum sumo, argumentum, neque multiplicis doctrinae apparatu instructum, quandoquidem ea in promptu non sunt quibus ad hanc rem opus esse videtur. Neque vero diu multumque cogitandum fuit, quum Praefatiunculam meditarer futuris operis meis praemittendam; vel ipsae rationes meae mutatumque vitae genus longam mihi dicendi materiem subministrant, neque abs re esse puto, quo animo ad provinciam mihi demandatam accedam, qui-

busve rebus confirmatus labores, quos subeo, gravissimos sustinere me posse sperem, sine fucoco ingenueque exponere. Etenim quum divino moderante Numine accidisset, ut scholae huius regimen ad me, neque opinantem tale quid neque expectantem deferretur, multae initio eaeque maximae curae animum meum sollicitaverunt. Hic ego pro metu eo, quem unicuique natura sua attribuit, vereri multa, plurima expendere, modo valetudinem contemplari infirmam minusque stabilem, modo taedia cogitare fere continua, non forbenda solum sed devoranda etiam ab homine scholastico; hinc nunc certi aliquid statuere, nunc fluctuare iterum atque retrocedere. Accedebant sermones virorum prudentissimorum, quod non dissimulo, meique amantissimorum, quorum ego neque auctoritatem contemnere, neque iudicium negligere, neque magnam erga me benevolentiam ignorare poteram. Satin' fanus tu es, hae erant voces eorum, qui te in scholam

lam tanquam in pistrinum abduci pateris? ter-
rentne te vestigia aliorum, qui debilitati ab-
iectique animo atque corpore magna in ege-
state vitam vivunt miserrimam? praecipue
quum faulrix Dei Providentia tibi munera alibi
paret maiora amplioraque? Quid mirum, si
inter has sollicitudines suspensus fuit animus,
ita a natura informatus institutusque, ut sem-
per temeritatem impetumque omnem vitium
esse maximum duxerit! Quid mirum, si metus
fuit, forte non tempestivus, ne quo ferrer, un-
de pedem referre vix ac ne vix quidem liceret!
Haec tanta impedimenta quomodo superave-
rim, et in posterum quoque, Deo bene iuvan-
te, superare posse sperem, breviter, LECTOR,
si ita videtur, accipe.

Equidem rebus omnibus probe circumspe-
ctis consideratisque, sic animum induco meum,
duplici ex fonte oriri molestias illas, quae in
scholis metuuntur. Alterum genus est, quod
ex magnitudine laboris existit, alterum ex na-



tura eius conditioneque arcessitur. Ad primum quod attinet, verum est, fateor, solenne illud: laborem, qui in scholis suscipitur, esse interdum plus quam Herculeum. Continua illa vocis orationisque contentio, quae a Doctore scholastico requiritur, laterum vim debilitat atque enervat. Vix datur intercapendo aliqua aut remissio, qua attritum longo labore corpusculum refici recrearique possit. Et quod Apuleius de literis universim pronuntiat: Continuationem literarii laboris omnem gratiam corpori detergere, habitudinem tenuare, succum exforbere, cet. illud verius nostro docendi labori convenire videtur. Verum enim vero cogitandum est, paucissimis tantum mortalibus illud esse a divina Providentia concessum, ut maximo in otio rerum omnium copia circumfluant. Neque tamen reformidant laborem, qui facillime carere eo poterant. Quot Viros videmus 'quotidie rem publicam gerentes, tot tantisque distentos negotiis, ut respirare

rare libere vix liceat? Si qui proinde sunt, qui laboris gravioris impatientes, ignaviae somnoque dediti scholas fugiunt, hos longum valere iussos et torpere in otio et tabescere etiam finimus. Illud vero imprimis studium nostrum excitare debet, quod eo vehementer et ornantur et augmentur publica commoda. Constat enim, talem olim futuram civitatem statumque adeo publicum, quales nunc iuvenes esse deprehenduntur. Estne igitur exigua res, nutrire et in sinu quasi fovere suo tenellos animos, eosque ad humanitatem omnem instituere, quos aliquando visurus sis securitatis publicae custodes atque praesides, eruditionis doctrinaeque principes, interpretes oraculorum divinorum, quos omnes habere debendi reos et honorificum est, et pulchrum, et singularem quandam suavitatem adfert. Sed haec utcunque erunt, illud certum est, quo quis contentius hac quidem in vita laboraverit, adiuveritque communem utilitatem, eo maiora amplioraque eum manere praemia.

nia. Est utique Deus, qui res actionesque hominum iusta lance aestimat, neque servum frangi ac integrum sine maximis muneribus dimittit, non magis quam improbum et ignavum hominem, pignus sibi creditum terra condentem, poenis afficit gravissimis. Fac ergo, magnam esse operam, quam erudiendae iuventuti impendere oportet, non irritus est labor, sed aliquando eo largius compensabitur. Neque illud vero praetermittendum est, res, in quibus occupatur industria nostra, maximam partem esse iucundissimas, id quod multum valere puto ad mitigandos labores, si quando acriores nobis videantur. Non aures nostras obtundunt convicia forensia, non ius dicitur de stillicidiis, nec pauperiem vicino facit quadrupes; neque vero recondita verba foetorem redolent, aut horridi spinis vepres nos vellicant: sed mansuetiores illas literas tractamus, a quibus omnem humanitatis elegantiaeque cultum prudentiores repetunt. Ecquid suavius esse potest,
quam

quam magnam vitae partem consumere vol-
vendis libris optimis sale multo melleque con-
sperfis, modo ne impediaris palati vitio, quo
minus illud gustare queas. Videas saepe Vi-
ros summum inter mortales fastigium tenentes
in sinu gestare auctores, quos clasficos appella-
re moris est, iis pascere animum gravioribus
curis debilitatum; qui bene secum agi putent,
si nonnulla momenta furripere possint reliquis
negotiis, eaque impendere lectitandis libris il-
lis, qui, quod vel non intelliguntur a nobis, vel
quotidie in manibus nostris sunt, fastidium no-
bis movere videntur.

At succedit alterum molestiae genus, quod
a natura conditioneque laboris in scholis fuscipi-
endi derivatur. Tolerari possit, inquiunt,
labor ille quantus quantus est, nisi saepissime ae-
gritudine contaminetur. Est nobis cum stupidis,
est etiam cum contumacibus conflictandum in-
geniis. Sunt iuvenes quidam immites, intra-
ctabiles, monitoribus asperi, quorum coercere

)(

petu-

petulantiam, & stultitiam ferre mortis instar est. Equidem non diffiteor, si cui facile bilis movetur, aut hoc vel a natura vela prava consuetudine attributum est, ut saeviat impotenter, cum primum aliquid vel leviter peccatum esse videt, eum, quam longissime potest, scholas fugere oportet, nihil enim aliud proficiat, quam ut sibi aliisque oneri sit gravissimo. At quem nam ille vitae cursum sequuturus sit equidem non perspicio. Nulla enim fere est vitae ratio, quae solitudine plane omni careat: Quam ob rem illud consultum esse videtur, quod Patrum memoria magni nominis Doctor in ore habuisse fertur, quum ille interrogatus, quonam modo inter tot taedia vegetum corpus mentemque hilarem ad summam usque senectutem servare potuerit, respondisse dicitur: se stultos ferre didicisse: Discamus ergo stultos ferre, quandoquidem illud in omni vita salubre ac frugiferum est. Verum enim est, quod ipsa ratio et communis omnium sensus nos docet,
cul-



culpam si vitaverimus de caeteris nihil nobis neque in vita nostra neque in aliena praestandum esse. Quare sint quidam mali, sint improbi, nolint ad sanam mentem redire; habeant illi suas sibi res: nos ut angamur propterea, nulla necessitate cogimur. Possimus nos hac quidem in re tueri auctoritate vironum candore et probitate conspicuorum, qui in eadem fere causa versantur, & quorum exempla magnam apud nos ad imitandum vim merito suo habent. Quomodo se instituunt illi, quibus cura aeternae hominum salutis commissa est? Traditur ab illis et inculcatur identidem doctrina vitiorum expultrix, instillantur animis praecepta sanctissima, adduntur etiam minae nonnunquam, quibus abundat nostra religio, at, si flectere nequeant durae cervicis homines, solliciti illi quidem sunt, et dolent, & commoventur, sed de tranquillo mentis statu non deturbantur penitus. Neque vero ipse Deus statim e medio tollit, quos pessundare poterat, immo-

rigeros homines, cuius si quis mitissimum Numen imitatur, quantum quidem humanae imbecillitatis conditio patitur, is demum et recte agere et laudem mereri censendus est.

Sed ohe! iam fatis est. Vereor enim ne molestiis nostris commemorandis molestias ipse LECTORI exhibeam, Ad alia longe maiora me vocat Pietas munerisque mei ratio.

Primum itaque SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI FRIDERICO, PRINCIPI SCHWARZBURGENSI, E QUATVOR SACRI ROM. IMPERII COMITIBVS, COMITI HOHNSTEINI, DYNASTAE ARNSTEDI, SONDRSHVSAE, LEVTENBERGAE, LOHRAE AC CLETENBERGAE, RELIQA, DOMINO NOSTRO INDVLGENTISSIMO gratias deuotissima mente exsolvo, quod Reſtoris munus ad me deferre clementissime benignissime voluerit.

Qua

Qua quidem sparta quum eo maxime nomine
beatum me existimem, quod illa in nume-
rum Civium ditionis eius me adsciscit, quam
magnam felicitatis humanae partem esse exteri
pariter indigenaeque omnes uno ore praedi-
cant; non est, quod temeritatis notam verear,
si inter ferventia adhuc nostrorum vota, qui-
bus fausta imperii illius auspicia prosequuntur,
meis quoque locum esse arbitrer, Deumque
adeo supplex venerer, ut **OPTIMUM**
PRINCIPEM, **PATRIAEQUE PA-**
TREM INDVLGENTISSIMUM, Lon-
gaevum, Magnum, Incolumem esse iubeat.

Tum Sapientissimo Serenissimi Principis
Consilio, iisque quibus Regimen rerum publi-
cam Sacrarumque commissum est, religiose
confirmit, me ea fide, diligentia, curaque in
officio mihi demandato versaturum, ut mag-
nae illius benevolentiae, qua in me deligendo

)(3

et

et apud SERENISSIMUM PRINCI-
PEM commendando usi sunt, nunquam iure
poenitere illos debeat. Quumque initium
muneris mei arbitrio eorum in ante diem XI.
Nov. constitutum sit, *ILLVSTRISSI-
MVM GENEROSISSIMVMQVE DO-
MINVM*, SERENISSIMI SCHWARZ-
BVRGENSIS PRINCIPIS *A CONSILII IN-
TIMIS, MAECENATEM NOSTRVM
FAVENTISSIMVM*, Viros magnificos,
Summe venerabilem, Illustres, Maxime Re-
verendos, Amplissimos, spectatissimos, ea,
qua decet, reverentia et humanitate rogo, ut
orationem meam inauguralem eo die hora
p. m. II. habendam et actum Introductionis so-
lennem honorifica praesentia sua illustrare et
condecorare velint.

*Lectiones semestri proximo habendae
ante Meridiem.*

H. VII - VIII publice, lecto et explicato ex Scriptura s. capite Theologiam docebo, ad ductum quidem Compendii Hutteriani apud nostros recepti, ita tamen, ut ea, quae deesse videntur, calamo vel sermone, prout commodum erit, adiiciam. Fiet hoc quinque per hebdomada horis.

H. VIII - IX publice Tribus horis hebraicae linguae principia tradam, quibus expositis librum biblicum legemus, initiumque facienus, si ita videbitur, a libro Iosuae. Quartam quavis hebdomade horam linguae Teutonicae excolendae impendam.

H. X - XI privatim Praestantissimum Poetam Virgilium, et eius quidem Aeneida hac hieme percurram, in qua explicanda nihil a me praetermitterur, quod ex Historia, Antiquitate, Mythologia ad illustrandum Auctorem adferri debet. Ea autem praecipua a me opera dabitur, ut mature latino sermoni assuescant Iuvenes.

post

AK 79 100
post Meridiem.

H. III-IV privatim Graeca tractabo. Uno alterove N. T. libro perlecto ad Chrestomathiam Exc. Gesneri, vel Aeliani varias Historias explicandas pergam.
H. IV-V privatim cum nonnullis Mahefin et Historiam incipiam, ita ut binae quavis hebdomade horae utrique tribuantur.


Die Mercurii ante Mer.

H. IX-XII publice Epistolas Ciceronis cursim perlegam, stilumque iuvenum exercebo frequentissime versione latina extemporalis.


Die Sabbati.

H. VIII-X in iisdem rebus versabor.

Denique dum ii desunt, qui linguas recentiores profitentur, voluntati eorum obsequar, qui id a me petierunt, ut has quoque interpretarer volentibus; modo id agant discentes, ut non tam volubilitatem linguae, quam optimos libros intelligendi facultatem quaerant. P. P. a. d. X. Nov. clō lō CC XLIV.



nc



X 2313050

II g
170

AD

ORATIONEM INAUGURALEM
IN ANTE DIEM XI. NOV. H. p. m. HABENDAM

ILLVSTRISSIMUM MAECENATEM
NOSTRUM
VIROS

DIGNITATE ERUDITIONE VIRTUTE
ILLVSTRES ET CONSPICUOS

RELIQUOS

SI QUI SVNT QUI HIS NOSTRIS FAVENT

QVA DECET PIETATE ET OFFICIO INVITAT.

OBITER

DE VINCENDA MOLESTIA SCHOLASTICA

DISSERIT

LECTIONES FUTURAS INDICAT

REGIMEN SCHOLAE FRANCOVSIANAE
SVSCEPTVRVS

IO. DAN. SCHVMANN. A. M.

FRANCOVSAE
LITERIS KEILIAN.S.

BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
MAGNIFICENTISSIMAE
FRANCOVSIANAE

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)